

« catores, nunc in agonia positos et hodie  
« morituros. Amen. »

« Cor Jesu in agonia factum, miserere morientium. Pater, Ave. »

100 dies indulgentiae toties — indulgentia plenaria semel singulis mensibus, dummodo oratio prædicta ter in die diversis temporibus quotidie recitetur, fiat confessio, communio et visitatio ecclesiæ, in qua ore tur pro Pontifice Romano. — Pius IX 2 februarii 1850 (1).

Consociati sunt pii operis activa membra, quæ omnia confraternitatis statuta servant et pluribus specialibus indulgentiis fruuntur. Hi receptionis die actum consecrationis Ss. Cordi Jesu agonizanti emittunt.

## XII.

### *De piis exercitiis in honorem B. Virginis Mariæ.*

1. Ut finem huic capiti imponamus atque omnibus piis exercitationibus, quæ finibus respondent quos Jesus, in revelanda de votione erga Cor suum sacratissimum, sibi propositus, liceat paucis enumerare quædam pia exercitia ab Ecclesia approbata et indulgentiis ditata, quæ speciali cultu Matrem Christi honorant, quæque valde juvant ad ipsam

(1) Maurel, *Le Chrétien éclairé*, n. 52.

Cordis Jesu devotionem in nostro et in aliorum animis fovendam. Quis enim Jesu proprior quam Mater sua? quid Cordi ejus intimius, quam immaculatæ Virginis Cor? Nemo venit ad Patrem nisi per Jesum, nec aliquis sperare potest fore ut a Jesu benigne recipiatur nisi per Mariam. Cor Matris in omnibus Cordi Filii simillimum est, puritate et sanctitate immaculata, desideriis et ardenti charitate, passione durissima tolerata, zelo gloriae Dei et salutis animarum, omnium virtutum exercitio, quibus nobis traditum est veluti exemplar et typus. Rectissime ergo Ecclesia Mariam a Jesu nunquam separat, omnibus diebus festivis Christi Matrem ejus commendamus, atque omnibus sollemnibus Mariæ diebus Filium ejus colimus et in mentem revocamus. Nec fere est devotio vel pium exercitium in Christi honorem, quod simile in honorem Mariæ non sit: hæc Ecclesiæ praxis palam facit nos Matre indigere ut ad Filium veniamus, et per Cor Matris necessario transeundum, ut in Cor Filii ingrediamur, atque in ejus habitaculo sub umbra illius moremur.

2. Igitur operæ pretium est aliqua recolere quæ Matrem Verbi honorant: sed quia tam vulgata sunt, ut magna expositione non indigeant, satis est ea enumerare ut in memoriam redigamus et magno amplectamur amore, nosque sub Mariæ prote-

ctione ponamus, aliisque fidelibus commen-  
demus.

Præcipua hujusmodi exercitia sunt : 1º fe-  
stivitates in honorem B. Virginis, 2º Mensis  
*Marianus*, 3º Sodalitates multiples sub  
Mariæ titulo, 4º Scapularia et eorum con-  
fraternitates, 5º Speciatim *Confraternitas*  
*immaculati Cordis Mariæ* pro peccatorum  
conversione, 6º *Consociatio Nostræ Domini-  
næ Sacri Cordis Jesu*. — De his pauca di-  
camus.

§ I.

*De diebus festivis B. Mariæ Virginis.*

3. Festivitates B. Virginis aliæ sunt in Ecclesia principales, aliæ secundariæ; principales sunt : Purificatio, Annuntiatio, Assumptio, Nativitas, Visitatio, Præsentatio et Immaculata Conceptio; secundariæ sunt : Septem Dolorum, Nostræ Dominæ a Monte Carmelo, Nostræ Dominæ a Nive, Nostræ Dominæ a Mercede, Sacratissimi Rosarii, Nominis Mariæ, Desponsationis B. Mariæ et plures aliæ. Nemini dubium est primi ordinis festivos dies solemniori ratione a sacerdotibus in ecclesiis esse celebrandas: ii enim non modo in Mariæ Matris Dei honorem cedunt, verum etiam Christi, cuius in memoriam nostram sui amoris erga homines misteria produnt. Hortentur ergo populos

sacerdotes ut se ad digne festivas hujusmodi solemnitates celebrandas pie disponant, per Sacramentorum frequentationem, per alia pia opera precesque, quæ Deum et B. Virginem proprios reddunt.

4. Plures ex his festivis diebus antiquitus ubique, nunc temporis alicubi, ex præcepto, cultu publico celebrantur: ac nemini sacerdotum ignotum est, ex Ecclesiæ præscripto, etiam ubi præceptum abolitum est, eodem antiquo ritu et solemnitate in templis esse habendos. Ut B. Mariæ cultus augeretur et fideles christiani ad devote hæc festa celebranda animum sumerent, Pius VII concessit 300 dies indulgentiæ iis qui novenario se præparant ad festivas solemnitates *Immaculatæ Conceptionis*, *Nativitatis*, *An-  
nuntiationis*, *Purificationis* et *Assumptio-  
nis*, dummodo preces aliquas præscriptas quotidie recitent; et indulgentiam plenariam die ipso festivo vel infra octavarium lucrandam ab iis qui eucharistico pane re-  
ficiuntur et B. Virginem pro Rom. Pontifice orant (1).

His quinque festivis diebus earumque no-  
venariis easdem indulgentias, iisdemque conditionibus Pius IX benigne largitus est, quibus addidit festivas dies *Visitationis*, *Præsentationis*, *Septem Dolorum B. M. V.*, *Patrocinii*, *Cordis Mariæ* et *Sacratissimi*

(1) Vide *Recueil de Prières, etc.*, a pag. 255 ad p. 287.

*Rosarii*: hoc novo privilegio adjecto, posse scilicet hæc novenaria quocumque anni tempore institui, nec teneri fideles ad eas preces recitandas, quæ antiquitus receptæ fuerunt, sed licitum eis esse alio quocumque libro uti, aliasque usurpare preces, dummodo unicuique novenario festi celebrandi respondant (1).

§ II.

*De Mense Mariano.*

5. Antiqua jam et satis nota devotio est mensem Majum pie transigendi in honorem B. Virginis Mariæ, atque hoc pius exercitium tam commune et usu vulgare est, ut necesse non videatur sacerdotes hortari ad illud magna cum solemnitate in suis ecclesiis celebrandum. Satagant igitur ut populos sibi subjectos variis piis operibus, singulis hujus sancti mensis diebus exerceant. Nemo nescit quem fructum animarum Ecclesia colligat, cum qui fidelibus præpositi sunt ferventi ratione et studio Mariæ Virginis honores hoc mense solvunt Sed maxime curent presbyteri, ut conversio animarum interior et virtutum exercitium in populo sibi subjecto exterioribus quibuscumque ornatibus prævaleant: quod sane nanciscentur si piis et sancta unctione conditis sermonibus

(1) *Recueil de Prières, etc.*, p. 285.

fideles christianos adhortentur, potius quam undique exquisitis et ornatis orationibus. Meminerint Mariæ præcipue cordi esse, ut filii sui Deum non offendant, eumque piis operibus et virtutibus colant.

Pius VII Rescripto dato 18 junii 1822, 300 dierum quotidiam indulgentiam concessit et plenariam semel in mense, die ad libitum electo, ordinariis conditionibus. Pius vero IX decr. 8 aug. 1859 permisit, ad plenariam lucrandam indulgentiam, communionem fieri posse die 1 junii (1).

§ III.

*De Piis Sodalitatibus  
sub titulis B. Mariæ Virginis.*

6. Nec arbitramur commendandum esse sacerdotibus, ut sodalitates B. Mariæ Virginis instituant, ad eas frequentandas fideles serio et constanter invitent, atque ut magna cum sollicitudine dirigant ad animarum fervorem probe custodiendum. «Incredibile est, inquit Benedictus XIV, quot emolumenta, quotque bona fluxerint cujuscumque conditionis hominibus ex hac tam pia et laudabili institutione (2). » S. Bernardinus beatæ Virginis sodalitiis verba attribuit, quæ sanctus Bernardus de religiosis monasteriis scri-

(1) *Recueil de Prières, etc.*, p. 240.

(2) In Bulla *Gloriosæ Dominæ*, 27 sept. 1748.

psit: « In his homo pure vivit — rarius in peccata labitur — si labitur, minora sunt quæ peccat — facilius a casu se attollit — majori diligentia ambulat — tranquillus quiescit — abundantia cœlestis gratiæ divinorumque favorum pluvia refrigeratur — facilius Deo satisfacit et Purgatorium vitat — majori fiducia et lætitia moritur — gloriösus in cœlis coronatur. »

7. Sodalitates B. Virginis, ut nunc frequentantur, ortum Romæ habuere in Collegio romano, anno 1563, cum juvenis leodiensis Joannes Leonius S. J. hanc in sua schola consuetudinem induxit ferventiores e suis discipulis semel vel iterum in hebdomada convocandi, ut eos piis lectionibus, instructionibus, precibus nec non Sacramentorum usu et virtutum exercitio ad Mariam Virginem colendam et ad vitam sincere christianam fingeret. Gregorius XIII, bulla *Omnipotentis Dei* 5 dec. 1584 hanc consuetudinem approbavit, primam illam sodalitatem in primariam congregationem erexit et indulgentiis ditavit, facultate facta admodum R. Patri Præposito Generali S. J. alias similes sodalitates in aliis collegiis S. J. erigendi, iisque easdem sodalitatis romanæ indulgentias attribuendi. Serius vero alii Pontifices innumera privilegia et indulgentias his sodalitatibus concessere, et tandem Leo XII Brevi 7 martii 1825 facultatem

fecit Præposito Generali S. J. sodalites ejusmodi in toto terrarum orbe, virorum vel feminarum, et adolescentium utriusque sexus canonice instituendi, quamvis a Presbytero S. J. dirigi non debeant, eisque permittendi, ut omnibus privilegiis et indulgentiis Primariae Sodalitatis romanæ fruerentur.

8. Ut igitur nova Sodalitas sub aliquo titulo B. Virginis instituatur, necesse est institutionis diploma ab adm. Rev. P. Præposito Generali Soc. Jesu postulare, vel saltem a Præposito Provinciali alicujus provinciæ S. J. qui ad ea concedenda a Præposito Generali facultatem habuerit.

Harum Sodalitatum statuta et indulgentiarum catalogi et privilegiorum ubique passim reperire est, ut opus non sit hic per singula vel etiam summatim exponere (1).

#### § IV.

*De Rosario, de Scapularibus B. M. V.,  
de Tripla Salutatione.*

9. Rosarium, scapularia, numismata et alia pietatis emblemata magni habenda sunt a sacerdotibus, qui devotionem erga Virginem Mariam propagare cupiunt. Rosarium ex precibus essentialiter divinis et ec-

(1) Vide Maurel, *Le Chrétien Éclairé*, n. 81. — *Manuel des Congrégations*, Tournai, Casterman; Namur, Doux fils, etc.

clesiasticis componitur, neque melior est ratio aut efficacius medium fidelibus ut orient occasionem præbendi, quam Rosarii B. Virginis recitatio. Nemo nescit innumera bona, quæ ex illa profluerunt. « Vade, inquit B. Virgo S. Dominico, Rosarii recitationem inter fideles institue: hoc erit omnibus malis remedium. » — « Rosarium, inquit Gregorius XVI, est mirabile instrumentum ad peccatum convellendum, ad gratiam recuperandam, ad Dei gloriam reparandam (1). » Innumeræ fere sunt indulgentiæ, quæ Rosarii totius vel saltem ejus tertiae partis recitationi a summis Pontificibus concessæ fuerunt, de quibus videri potest Maurel, qui longe et fuse de iis loquitur (2), vel recentius opus, quod sæpe citavimus (3). Optimum sane esset consilium, si sacerdotes patres et matres familias hortarentur ad antiquam consuetudinem christianorum restaurandam in communi familia quotidie coronam recitandi; vel si sæpe, occasione ex festivis B. Virginis diebus sumpta, hanc coronæ recitationem publicam in ecclesiis inducerent; si denique Rosarii viventis excellens exercitium commendarent.

10. Nec minimi facienda sunt scapularia vel B. Virginis numismata, quibus Ecclesiæ

(1) *Brevi ad Episc. Symac.*

(2) *Le Chrétien éclairé*, nn. 80, 88, 90, 91.

(3) *Recueil de Prières, etc.*, pp. 161, 163, etc.

benedictio accedat. Duo hic maxime scapularia commendamus; unum B. Mariæ Virginis a Carmelo, alterum Immaculatae Conceptionis beatæ Mariæ Virginis; et unum præsertim numisma, illud inquam Cordis immaculati B. Mariæ Virginis pro peccatorum conversione. Supervacaneum sane est de his longiorem instituere sermonem, cum presbyteri noverint vel privilegia his insignibus marianis, vel non paucas indulgentias, quas Pontifices iis qui apud se ferunt, large concederunt. Promissio a Dei Matre B. Simoni Stock facta eum salvandi ab æterna morte, qui suo scapulari montis Carmeli indutus moritur, ut certa in Ecclesia habetur, cum tot Pontifices romani, inter quos Benedictus XIV, hanc revelationem ut certam habuerint et populo tuto Annunciari posse permiserint, totque prodigia in promptu sint, ut nemo convenienter de ea dubitare possit. Pius autem IX innumeris, ut ita dicam, indulgentiis Immaculatae Conceptionis scapulare ditare voluit, quod diceret velle per hoc Matris Dei privilegium mundum hominesque ab æternis cruciatibus so spites reddere; nec, quamvis non sponderit, dubitandum quin B. Virgo suos filios, qui hoc scapulare devote ferunt eoque supervestiti hac vita decedunt, salvos facere velit (1). De numismate vero Cordis imma-

(1) Vide Maurel, nn. 78, 79 et *Supplément*, nn. 18, 38.

culati multa videri possunt in Annalibus, quæ Parisiis imprimuntur Arciconfraternitatis Cordis immaculati Mariæ pro conversione peccatorum (1).

11. Denique enixe presbyteris commendamus, ut rursum omni conatu pium exercitium instaurent, quo fideles sanctam Virginem mane, meridie et vespere consulant, pulcherrima illa prece *Angelus Domini* etc. vel pro tempore *Regina cœli*, etc. Hæc a S. Bonaventura pia consuetudo inter suos religiosos inducta et per Galliam propalata, a Joanne XXII approbata fuit et statim per totum terrarum orbem diffusa, ut dulcissima filiorum mati suæ consolatio. Nunc autem poene obsoleta nonnisi a religiosis viris et feminis atque a raris admonendum secularibus fidelibus frequentatur. Benedictus XIII Brevi *In juncta Nobis* 14 sept. 1724 concessit: 1º Indulgentiam 100 dierum toties quoties hæc salutatio genibus flexis vel pro tempore stando, campanæ signo recitatur; 2º Indulgentiam plenariam semel in mense, ordinariis conditionibus, dummodo saltem semel in die fuerit toto mense recitata (2).

(1) Vide etiam Maurel, n. 38.

(2) Vide Maurel, n. 25 et *Recueil de Prières, etc.*, p. 170.

§ V.

*De Confraternitate purissimi Cordis Mariæ.*

12. Antequam devotio erga Cor Jesu B. Margaritæ Mariæ fuerit revelata, P. Eudes amore erga Cor Jesu ardens, non minori dilectione erga Cor Mariæ ferebatur. Ipse precibus a S. Sede obtinuit ut festum Cordis Mariæ a S. Sede approbaretur, et jam tum sicut Pia Unio et Cultus perpetuus Cordis Jesu instituta sunt, ita similes in honorem Cordis Mariæ consociationes ortum habuerunt. Verum cum temporum conditioне et calamitosissimis rerum adjunctis hæc ultima pia devotio deforbuerit, anno 1836, Maria ipsa inspirante, rursum in ipso Parisiensis urbis centro excitata est. Nam ibi Arciconfraternitas sacratissimi Cordis Mariæ a Gregorio XVI approbata et confirmata erecta est, atque inde per totum orbem diffusa paucis annis, peccatores homines quamplurimos per Mariæ dulcissimum Cor ad Cor Jesu amantissimum adduxit (1).

13. Notissima est hujus recentis institutionis historia, ut necesse non sit hic eam

(1) Jam an. 1847 numerabantur 7950 confraternitates primarie parisiensi adjuncte, que 16,000,000 membrorum inscriperant. Anno 1872 habebantur 16,659 confraternitates cum 90,000,000 membrorum.

exponere (1). Arciconfraternitas sedem suam habet Parisiis in paroecia Nostræ Dominæ a Victoriis, cuius statuta et alia cognosci possunt in libello citato venerabilis Parochi Desgenettes typis impresso. Ad indulgentias lucrandas quæs Gregorius XVI et Pius IX concessere (2), nulla est alia conditio quam ut nomen uni ex confraternitatibus canonice erectis detur. Verum membris inscriptis commendatur : 1° ut quotidie unum *Ave Maria* pro Arciconfraternitatis finibus recitent; 2° ut secum numisma prodigiosum Cordis immaculati beatæ Virginis afferant; 3° ut quandoque invocationem repetant: « O Maria sine labe concepta, ora pro nobis, qui ad te configimur. » Denique ubi id fieri possit, confratribus insinuatur, ut piis exercitiis adsint, quæ singulis diebus dominicis in templo confraternitatis fiunt, atque ut Eucharistia ad plures indulgentias lucrandas reficiantur, festivis diebus Arciconfraternitatis propriis.

14. Quis innumeros conversionum et bonorum etiam terrestrium fructus non novemit, qui ex hoc pio exercitio in mundum profluxerunt? Cur igitur nunc temporis in templis, in quibus confraternitas erecta fuit,

(1) Vide: *Manuel d'Instructions et de Prières à l'usage des membres de l'Archiconfrérie du très-saint et immaculé Cœur de Marie établie à Paris.*

(2) Vide Maurel cit. n. 82.

exercitia pia quæ adhuc Parisiis, magno cum animarum emolumento fiunt, non amplius pari zelo et studio frequentantur? Exoramus igitur presbyteros, qui animarum curam habent, ut rursus instaurent, ubi jam confraternitas viget, et ut per Mariæ Cor ad Cor Jesu hominum animas impellant. Sed in genere non negligant devotionem erga Mariæ Cor immaculatum fidelibus commendare; ejus imagines et numismata, ut de Corde Jesu dictum est, ubique diffundant; hortentur fideles ad sancte celebrandum Cordis Mariæ festum, die dominico post octavarium Assumptionis B. Virginis, atque ad pium aliquod exercitium quotidie mense augusti peragendum, quo se digne ad festivum ipsum diem disponant. Hæc et similia Cordi Mariæ immaculato gratissima sunt, et ab ejus et Jesu amatoribus diligenter frequentanda.

#### § VI.

##### *De Consociatione Nostræ Dominæ Sacratissimi Cordis Jesu.*

15. Operæ pretium arbitramur de hac recentissima consociatione pauca dicere, quæ videtur a B. Virgine Maria hac nostra calamitosa tempestate instituta, ut extremos sui amoris conatus in perditos suos

filios effundat, eosque ad vitam et justitiam ex vitiorum cœno revocet.

Die 29 januarii 1864 haec consociatio Issoduni in Gallia canonice ab Archiepiscopo Burgensi erecta est, postquam triginta Episcopi novum hunc titulum Mariæ attributum recognoverint. Pius IX Brevi dato die 7 junii 1864 confirmavit, atque mense februario 1869 primariae jura issodunensi consociationi concessit, quæ in sacello novorum Cordis Jesu religiosorum (quod postea in magnificum templum est commutatum) statuta jam fuerat. Innumeri exinde totius orbis Cardinales, Archiepiscopi atque Episcopi hanc novam piamque devotionem ratam habuere, et brevi tempore ubique aliæ atque aliæ consociationes erectæ, templa ædificata, signa B. Virginis sub hoc titulo publicæ venerationi exposita, specialèisque gratiæ a Maria ex Jesu Corde in animos et in fidelium corpora effuse sunt.

16. Hujus consociationis scopus est ad Nostræ Dominæ Sacri Cordis Jesu potentissimam intercessionem configere, ut quæ ob Matris titulum et rem jura supplicantis efficacissima in Cor Filii sui Jesu habet, auxilium nobis in difficultimis vel etiam desperatis rebus præbeat, tum relate ad spiritum, tum ad tempus. Ut quis privilegiorum atque hujus consociationis indulgentiarum particeps fiat, duæ hæ imponuntur conditiones:

1° ut nomen det uni ex consociationibus canonice erectis (1), ex qua signum receptionis accipiat, 2° ut bis, mane et vespere, hanc brevissimam invocationem recitet: « Nostra Domina Sacri Cordis, ora pro nobis; » cui Pius IX die 26 jun. 1867, 100 indulgentiæ dies concessit. Aliæ indulgentiæ, aliaque emolumenta et statuta cognosci possunt ex libello a Patribus Ss. Cordis Jesu Issoduni typis mandato (2).

---

#### PERBREVES ALIQUÆ PRECES

#### INDULGENTIIS A SUMMIS PONTIFICIBUS AUCTÆ.

---

1. « Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum: Plena est terra gloria tua: Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui sancto. »

1° 100 dies indulg. *semel* in die; 2° 100 dies *ter* die dominico, die festo et infra octavarium Ss. Trinitatis. — Clem. XIII, 13 sept. 1768.

3° Indulg. plenaria *semel* in mense, ordinariis conditionibus, hanc invocationem

(1) In Belgio duæ consociationes canonice erectæ sunt in templis collegiorum S. J. Montibus in Hannonia et Vervie.

(2) *Notre-Dame du Sacré-Cœur* mieux connue et son Association, Issoudun (Indre-France).